



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Benedictus II. Abbas LVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

invilere, & ibidem prandere clementissimè dignatus.

BENEDICTUS II. ABBAS LVI.

Extincto Remigio Præfectus Monasterio nostro fuit Benedictus II. dictus Weidenbusch Registrariâ oriundus, Frater Clericus annis 22. nondum expletis; altero ab electione anno & dignitate sacerdotali & Abbatis insignibus condecoratus fuit. A Remigio studiorum causa Coloniam Agrippinam missus magnam sibi & solidæ pietatis & raræ doctrinæ famam collegit, ut quidem abundè testantur testes literæ, quibus abeuntem illum Ægidius Monasterii S. Pantaleonis Abbas prosecutus est; ut proinde mirum non sit, quòd illi Juveni etiamnum summa Abbatialis dignitas collata fuerit, convenienter illis S. P. Benedicti statutis, de ordinando Abbate ita præcipientis: Vitæ merito, & sapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in congregatione. Et sanè brevè palàm fecit omnibus, quàm esset hac prærogativâ dignus, siquidem pietatis & sapientiæ ratio habenda fuit. Pietatem ejus inde, ut multa alia missa faciamus, colligimus,

gimus, quòd anno 1657. in Cæna Domini post
 peracta Missarum solemnia primus se ad 12. pau-
 perculorum pedes abjiciens, lotis & magnâ ani-
 mi sui voluptate terfis pedibus, pastos illos, &
 muneribus recreatos à se dimiserit: sapientiam
 demonstrat incensissimum illud studium Religiosos
 suos omni eruditionis genere excolendi; quorum
 alii in Conventu Schwarzacensi, alii in Universi-
 tatibus Wirceburgensi & Coloniensi Theologiæ
 operam dabant, tam laudabili ubique profectu,
 ut Thesibus publicè propugnatis Sacrosanctæ
 Theologiæ Doctorum Insignia referre meriti sint;
 Quin, quod jure mireris, Benedictus ipse Theo-
 logiæ arcana explanare domi, in Aula Wircebur-
 gensi Disceptationibus Eruditorum interesse, quo-
 ad per vires licuit, frequentissimè solebat, omni-
 bus ubique morum in illo suavitatem, & erudi-
 tionis præstantiam deprædicantibus. Subin infir-
 mitatibus variis tentari cœpit, quibus in Hæcticam
 desinentibus catharro denique oppressus die 14.
 Augusti spirare desiit, eo ipso die, quo veste reli-
 giosâ primùm indutus, & per solennem Professio-
 nem Deo adstrictus fuit, anno Christi 1672. æta-
 tis 40., regiminis 18., Sacerdotii 16., dignus lon-
 giore vitâ, nisi pro cælo jam fatis tum laborasset.